



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **NYAHURURENSIS**\* IN KENIA NOVA CONDITUR  
DIOECESIS NYAHURURENSIS Nuper est petatum ut in Kenia nova dioecesis constitueretur ad efficacius consulendum  
aeternae spirituali saluti atque regimini Christifidelium in metropolitana Ecclesia Nyeriensi degentium. Quapropter  
Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque simul faventi voto Venerabilis Fratris  
Ioannis Tonucci, Archiepiscopi titulo Torcellani et in eadem Natione Nuntii Apostolici, ad motae postulationi concedendum  
esse censuit. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris totius gregis Dominici, talem sententiam ratam  
habentes, Nostra Apostolica potestate haec decernimus. A Nyeriensi archidioecesi separamus territorium districtus civilis  
patrio sermone nuncupati *Nyandarua* et partem occidentalis districtus civilis *Laikipia*; ex iisque locis novam condimus  
dioecesim *Nyahururensis*, quam memoratae metropolitanae Ecclesiae Nyeriensi suffraganeam facimus atque  
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe «  
Nyahururu» atque templum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis ibidem exstans ad dignitatem Cathedralis  
ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum  
praedictus Apostolicus Nuntius; qui, re acta, curabit documenta conficienda sincerisque exemplis Congregationi pro  
Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Apostolicam Constitutionem iugiter ratam esse volumus, contrariis  
quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Decembris, anno Domini bis  
millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

*Apost.*

CRESCENTIUS card. SEPE

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

---

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 4, pp. 230-231 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana